

quod nomen? Falso opinionis errore te-
nentur, qui ad tale quid nos adspirasse
credunt. Non aliud in hoc calendario
edendo secuti sumus consilium, nisi, ut
haec carmina qualiacunque, exercitatio-
nes scholasticas, nullo praceptorum ad-
juvante aut emendante, exaratas, tan-
quam studiorum nostrorum specimina
palam omnium, qui scholae nostrae res ali-
qua ex parte curant, oculis exponeremus,
persuasi, fore, ut judices aliqui beni-
gni et candidi, consueta judicandi comi-
tate et in juvenum imbecillitates lenitate
conspicui, sententiam de iis ferant haud
adeo iniquam. Quod si nobis contige-
rit, nihil magis sit nobis exoptandum,
quam ut omnes scholae nostrae patroni
in posterum nobis faveant, nostrisque
conatibus benigno vultu adnuant.

Restat, ut paucula moneamus, cur
singulos anni dies discipulorum Afrano-
rum, cum mortuorum, tum adhuc floren-
tium, nominibus notaverimus. Lecto-
ribus partim eorum memoriam ita revo-
cari, partim, si qui nonnullos non no-
rint, eorum notitiam voluimus perferri.
Multi profecto cujusvis aetatis viri eru-
ditissimi ac nobilissimi in almo hujus
scholae sinu materna cura foti prodie-
runt, et lampadibus clarius aetati suae